

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Codicis Dn. Ivstiniani Sacratissimi Principis P.P. Avg. Repetitæ prælectionis Libri XII

Justinian <I., Byzantinisches Reich, Kaiser>

Francofurti ad Moenum, M D LXXXVII.

Peroratio auctoris cum brevi synoptico

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1733)





PERORATIO AVCTORIS  
CVM BREVI SYNOPTICO.

**M**ACTENVS eam annorum mundi rationem sequuti sumus, quam ex Eusebio Orosius, ex his verò Beda & tota tandem Latina ecclesia amplexa est: secundum quam scilicet Christus dicitur natus anno mundi 5199. vt vulgaris quoq; libellus qui Computus ecclesiasticus inscribitur, monstrat his versibus,

*Quingentos decies cum bis centum minus vno  
Annos dic ab Adam donec Verbum caro factum.*

Sed & illos annos quotannis in Gallicanis ecclesijs proponi appenso ad cereum Paschalem indice, & ille ait, & nos obseruauimus. Secundum hanc igitur chronologiam Iustinianus imperare cœpit, anno quidem Christi 527. mundi verò 5726. At secundum recentiores, Nicephori, Clementis, Cedreni, & cæterorum Græcorum chronologias deprehendi, Iustinianum imperare cœpisse anno mundi 6035. Quam tamen diuersitatem tantam plerique non aduertentes, aut non intelligentes, vbi semel ex nescio quibus vulgatis chronicis Carionis, Funccij, Pantaleonis, multo pauciores annos animo imbiberunt, nihil non contaminatum & deprauatum apud reliquos auctores Græcos, similiter ac Latinos relinquunt, vt ille qui apud Nicephorum historicum vbiq; & per omnes libros atq; capita mille annos scripturæ integræ auctoris detraxerat, quamuis postea animaduerso errore resipuerit, vt etiã quidã historiconomicus, qui nihil præter historię verbum in ore habet, qui, cum scribat Augustinus lib. 18. ciuit. Dei, c. 4. nondum suo tempore sex annorum millia ab initio mundi esse completa, quomodo loqui aut numerare debeat, Sancto viro præscribere non veretur. censet enim scribere eum debuisse non sex millia, sed quinque millia, *ἕτους ἀταλάτως τοῖς πολλοῖς ἢ ζήτησις τῆς ἀληθείας*. ita plurimis in procliui est veritatis indagatio, minimeque in ea inuestiganda fatigari, aut angidignum putant, vt Atticissimè Thucydides eloquitur. Hæc me, vt verum fatear, perpulerunt, vt molestissimum susciperem laborem totius eruendæ & enucleandæ diuersitatis, eam præcipuè ob causam, vt Nicephori Constantinopolitani archiepiscopi chronologiæ lucem adferrem, quæ ita mendosa edita est, vt profus videri possit nec edita, & ita commentarijs oppressa & vexata, vt non tam illustrata, quàm obtenebrata, imò vt amplius quid dicam, accusata & repre-

hensavideri possit. Sed & hunc laborem eò suscepi lubentius, quòd ignorata noua hac ecclesiæ Græcæ chronologia (quæ & synodi sextæ generalis, & alijs omni exceptione maioribus, & quibus fidem derogare nefas est, auctoritatibus & testimonijs sustinetur & firmatur) nullum ferè fructum ex Græcis recentioribus historiis, Nomocanone, Basilicis, Harmenopulo, Theodoro, Balsamone referre possumus, qui vbiq; ferè omissis annis Christi sola tempora conditarum legum, aut canonum, per annos mundi indicant, quos tamen ad annos Christi redigere, nisi tota eorum computandi ratione cognita & perspecta non possumus.

Ergo Græca hodie ecclesia quæcunque & vbiq; restat, sic rationem mundi annorum per articulos temporum colligit:

- Ab origine & creatione mundi vsque ad diluuium, sunt anni 2262.
- A diluuiio vsque ad natiuitatem Abrahamæ, anni 1072.
- A natiuitate Abrahamæ vsque ad iter ex Ægypto, anni 505.
- Ab itinere ex Ægypto vsque ad primum annum regni Salomonis, anni 630.
- A primo anno Salomonis, vsq; ad captiuitatem, anni 445.
- A primo anno captiuitatis vsque ad finem eiusdem, anni 70.
- A fine captiuitatis, id est, secundo Darii anno, vsq; ad mortem Alexandri magni, anni 201.
- A morte Alexandri vsque ad Christi Domini natiuitatem, id est, annum 42. Imp. August. anni 323.

*Summa omnium annorum ab origine mundi vsq; ad Christum, anni 5508.*

- A Christo vsq; ad Iustinianum anni 527. & conuenienter à condito mundo, anni 6035.
- A Iustiniano vsque ad quintum annum Iustiani Rhemotmeti, quo facti sunt canones sextæ synodi in Trullo, anni 164. & conuenienter à mundo condito anni 6199. vt tertio eius synodi canone numeratur.
- Ad extremum, vt finem computandi faciam, consequenter his quæ præmissi, præsens annus Christi 1570. is esse à me obseruatus est, qui in cyclo Paschali Græcorum (Venetijs ante annos 35. impresso cum illorum Horologio) numeratur à mundo condito 7078.

CONIVN-